# ORATIO
# DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO

*A R. Adm. P. CAROLO ANTONIO à Samoclevo, Reformatae Provinciae Tridentinae, Lectore Emerito, Seraphici Ordinis Ex-Secretario Generali, & in Ultramontana Familia, pro Reformatis, in Romana Curia Procuratore Generali,*

HABITA

IN REGALI CONVENTU S. P. N. FRANCISCI VALENTIAE DIE 29. MAJI 1768.

PRO GENERALIUM COMITIORUM totius Minorum Ordinis coronide, & gratiarum actione.



*VALENTIAE:*

In Typographia Benedicti Monfort, anno 1768.

Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/oratiodeaugustis00samo

# *JUDICIUM*

## *D. JOACHIMI SEGARRA, ET MUGNOSII,*

*Doctoris Theologi, in Metropolitana Eccleſia Canonici, Regii Valent. Nobilium Seminarii Rectoris, olim in Patriarchali Collegio SS. Corporis Chriſti Studiis Praefecti, ac in Valentina Univerſitate Durandi Cathedrae Moderatoris, &c. &c.*

LEgi, & perlegi (quando ita placuit Perilluſt. D. D. Petro Joſepho Mayoralio, Canonico digniſsimo, Valent. Dioeceſeos Vic. Gen. meritiſsimo mihi hanc dare Provinciam) Orationem illam ſacram, egregiam quidem, quam R. A. P. Fr. Carolus Antonius à Samoclevo, Lector Emeritus, Ex-Secretarius Generalis, & Procurator Generalis Reformatorum, ad populum habuit in Comitiis Generalibus habitis in maximo, ac religioſiſsimo Seraphici Patris Franciſci Coenobio Valentino: Sed quâ voluptate! Illam enim ſemel atque iterum oculis perluſtrando, ſemel atque iterum delectatus ſum ut quum maximè: præſertim verò poſteàquam animadverti mihi haud cenſoris, ſed encomiſtae partes aſſumendas. Id quod ego jam fueram odoratus, ſtatim ac quid de illa cenſerem commiſſum eſt. Nihil enim reperi quod miniatâ cerulâ notari valeat: Imò verò nihil non laude dignum. In hanc abierunt ſententiam Viri graviſsimi, qui concioni interfuerunt, Auctoremque reſonantem audierunt taciti, attenti, ora tenentes ſua, immoti: delectabat enim, detinebatque eos Orationis artificium, eſt quippè affabrè ſcienterque elaborata, omnibuſque numeris abſoluta: Ordinis concinnitas, ſuis namque locis ritè locata ſunt omnia: Eloquentiae nitor; ea namque, quibus uſus eſt verba mellea omnia, & liquido fluunt curſû:

ſû : Latinae dictionis puritas ; nullum enim eſt verbum, nullaque vox eſt, quae Auguſti ſaeculi non referat, redoleatque, & proprietatem, & ſuavitatem. Quid deinceps? Soliditas doctrinae unà cum pulchra rerum varietate, & ſacrae paginae, & SS. Patrum perpetuis teſtimoniis firmata, roborata, ſtabilita, & quidem non elicita, ſed appoſitè adducta, non ut paginas impleat, ſed neceſſaria, ſed nervoſa, quae vincant mentem, & veritatem doceant. Inveniet haec quicumque legerit intentis oculis, nec latum unguem à veritate deerrare. Et forſitan his plura; *plus eſt enim*, ait D. Ambroſius, *quod probatur aſpectu, quàm quod ſermone laudatur.* Iſta haec, quae illos ſummâ affecerunt voluptate, impulere etiam num, ut ſummis votis optarent, & urgerent hujus tantae ſcilicet Orationis editionem: Id quod etiam ego demiratus, expertuſque, illam verſando, ejus praeclariſsimas dotes; ſatiùs habui, illis ſubſcribere, quàm ulterius in ejus commendationem diſtineri. Num verò jam tandem animum cenſoris ſumens honeſti, cum omnia abſque ullo doctrinae naevo, nec moribus diſſona, aut Eccleſiae decretis, quinimò his omnibus conſentanea repererim è re Divini Verbi praeconum maximopere futuram exiſtimo, & publica luce digniſsimam cenſeo. Salvo ſemper &c. in hoc Regio Valent. Seminario VI. Cal. Julias, MDCCLXVIII.

*Joachimus Segarra, & Mugnoſius.*
*Val. Eccl. Canonicus.*

Jhs. Imprimatur,
*D. Miranda, Vic. Gen.*

Imprimaſe,
*Caro.*

CEN-

*CENSURA Adm. R. P. Fr. JOANNIS BAPTISTAE Servera, Lect. Theol. in hac Provincia S. Joannis Baptiſtae Strictioris Obſervantiae Minorum Diſcalceatorum, Ex-Miniſt. Provinc. totiuſque Ordinis Seraphici P. N. Sancti Franciſci jam Diffinit. Gen.*

DE MANDATO

*Rmi. P. N. ANTONII ABIAN, DOCT. THEOL. LECT. Jubil. Ex Procurat. Gen. Ordinis, & totius Ciſmontanae Familiae Commiſſarii Generalis, &c.*

RME. PATER.

NIhil Fidei non conſonum, nihil Sacris Traditionibus non conforme, nihil Sanctorum Patrum ſententiis, moribuſque optimis non conſentaneum, in hac magnifica oratione de Auguſtiſsimo Trinitatis Myſterio, à R. Adm. P. Carolo Antonio à Samoclevo, pro Reformatis Procuratore Generali, diſpoſita, & pro Comitiorum Generalium coronide recitata, quam juſſu P. V. Rmae. attentè, alacriterque perlegi, penitus invenire potui: immò, ſi fas eſt dicere, hanc, inter Orationes illas Sanctorum Patrum, verèque Eccleſiae luminum, à quibus fides noſtra maximum accipit ſplendorem, & contra graſſantes errores inexpugnabile fulcimentum, cenſeo eſſe adnumerandam. Quis in ea de tam ineffabili Myſterio Auguſtini acumen, Leonis majeſtatem, Bernardi ſuaviſsimam unctionem, Bonaventurae ſeraphicum ardorem, familiaremque Sacrae Scripturae eruditionem, & Angelici Thomae claritatem, non intuetur? Hanc verò, toto Orbe litterario clariſsimus Vir, & Populi noſtri honor Gregorius Majanſius, poſtquam attentè, laetoque animo audivit, & profundiſsimo ſuo judicio ponderavit, verè Tullianam, verèque Apoſtolicam eſſe dixit. Hac potiſsimum maximâ auctoritate protectus, ſolidiſsimoque munitus fundamento, judico, digniſsimam fore Orationem praelo dandam. Salvo, &c. In hoc S. Joannis Baptiſtae à Ripa Valentino Conventu, die 16. Junii 1768.

*Fr. Joannes Baptiſta Servera.*

LI-

# LICENTIA ORDINIS

Fr. ANTONIUS ABIAN, DOCTOR Theologus, Lector Jubilatus, Provinciae Aragoniae Pater, Ex-Procurator Generalis Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci, in hac Ciſmontana Familia Commiſſarius Generalis, & Servus.

CUm Orationem pro ſolemni Comitiorum Generalium celebratione in hoc Regali Valentino Coenobio S. P. N. Franciſci elaboratam à R. A. P. Fr. Carolo Antonio à Samoclevo, Lectore Emerito, Ex-Secretario Generali Ordinis, & actuali Procuratore Generali, noſtrae Provinciae Sancti Vigilii Reformatorum, reelectam, approbatamque fuerit, ut Typis mandari poſsit, à Theologo noſtri Ordinis; tenore praeſentium eidem debitam facultatem impartimur, quatenus ſervatis omnibus de jure ſervandis, Typis mandari poſsit. Dat. in eodem noſtro Regali Valentino Conventu S.P.N. Franciſci die 17. menſis Junii anni 1768.

*Fr. Antonius Abian, Commiſ. Gener.*

D. M. Rmi. in Chriſto Patris.
*Fr. Didacus Garcia a Botija,*
*Pro-Secret. Gen. Ordinis.*

EUN-

# *EUNTES ERGO DOCETE omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spirit. Sancti ::: Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaeculi.* Matth. 28.

SI quis veſtrum, Patres ampliſsimi, ac ornatiſsimi Viri, auditis verbis Dominicis ex Matthaei Evangelio mox recitatis, fortaſsè putet, me hùc ad dicendum eo conſilio acceſsiſſe, ut ſublimiſsimum omniumque maximum Auguſtiſsimae Trinitatis myſterium, quod nobis hodie ſolemni feſtiviſsimo adorandum cultu proponitur, evolvere, ac explanare contenderem, is certè fallitur, & ab inſtituti mei ratione quam longiſsimè aberrat. Satis namque intelligo, ſacris edoctus litteris, quod ſi aliás unquam, in hoc praeſertim myſterio verè *Deus eſt magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* (*a*); quod

(*a*) Hie. 32. 19.

quod *lucem inhabitat inacceſibilem* (*a*); & *vincit quamlibet ſcientiam noſtram* (*b*). Ecquis enim, amabo, enarrare poſsit, aut capere: quomodo Pater genuerit Filium, & per omnia Genitus coaequalis ſit Generanti: quomodo ſit ortum lumen de lumine, & utrumque ſit unum lumen: quomodo Deus de Deo ſit natus, & ab utroque Spiritus Sanctus, Deus & ipſe proceſſerit, neque tamen Deorum numerus creverit? Quis, inquam, iſta & benè multa id genus alia ſe poſſe intelligere, aut explicare praeſumat? Ego ſanè haec omnia neſcio, inquit S. Auguſtinus, *neſcio, & liberè me neſcire profiteor* (*c*). Immo ſi magnum audiamus Baſilium, *& ſi omnes omnium mentes unà ad inveſtigandum coirent, tamen qui haec aſſequi poſſet, exiſteret nemo* (*d*). Et ſi quid amplius dici poſſit, ſubdit S.Bernardus, *Trinitatis arcanum nec ab Angelis, nec ab hominibus, niſi Spiritu Sancto revelante cognoſcitur* (*e*). Ne putetis igitur, Auditores, me velle hodie inveſtigare, quod praecipua Eccleſiae lumina ſe ignoraſſe teſtantur. Nimium quippe me terret, ac merito quidem terrere debet,

(*a*) 1. Timot. *6. 16.*
(*b*) Job. *36. 26.*
(*c*) D. Auguſt. Serm. 189. de temp.
(*d*) D. Baſil. in Proem. de ver. & pia Fide.
(*e*) D. Bernard. Serm. 5. in Cantic.

bet, quod ſcriptum legimus in Proverbiis: *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, oprimetur à gloria* (*a*).

Tum verò illud etiam, Patres ampliſsimi, obverſabatur mihi ante oculos, obſtabatque, ne in mare hoc immenſum ingrederer, unde evadere, & enatare nunquam poſſet Oratio, quod hodierna dies Generali huic noſtrae Congregationi ad Sanctiſsimae Trinitatis laudem, & gloriam, optatum finem imponat: quae res profecto non erat penitus diſsimulanda. Quum enim in ea peragenda Divinam Salvatoris noſtri pollicitationem ſuis Apoſtolis factam: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaeculi*, cumulatiſsimè impletam eſſe, ipſemet auſpicatiſsimus rerum noſtrarum exitus non obſcurè perhibeat: quis non intelligit, eo demum pacto de annua hujuſce diei celebritate mihi eſſe loquendum, ut quae his Comitiorum diebus facta in nobis ſunt magnalia Dei, non omninò praeterirem ſilentio.

Itaque haec mihi animo volventi, & quò me verterem, quidve conſilii caperem, mecum ipſo diú reputanti, illud tandem occurrit: me nihil ad rem utramque oportunius poſſe ſuſcipere, quam ſi beneficia tum communia, quae



(*a*) Proverb. 25. 27.

à Divinis Perſonis accepimus omnes, & in dies etiam percipimus; tum particularia, quae nobis ſpecialiter in hoc Generali Capitulo collata ſunt, in memoriam revocarem. Hinc enim facilè eventurum ſentiebam, ut haec una beneficiorum recordatio ad perſolvendas Uni Trinoque Domino impenſiſsimas gratiarum actiones omnium animos excitaret. Nihil ſiquidem, uti S. Joannes Chriſoſtomus animadvertit, *nihil apud nos homines aequè ſolet accendere amicitiam*, *ut aſsiduè meminiſſe beneficiorum*, *quae accepimus* (*a*). Ecquis autem neſciat, nihil eſſe, quo Deus plus delectetur, aut quo melius coli à nobis poſsit, ut ſincera, & humili beneficiorum confeſsione, cum piâ & religioſa gratiarum redditione conjuncta? *Deus nihil aeque ac hoc poſtulat*, inquit laudatus Pater; *hoc eſt maximum ſacrificium*, *hoc eſt pulcherrima hoſtia*, *hoc oblatio perfecta*; *hoc eſt pii & grati animi ſignum* (*b*).

Quo circa etſi non ignoro, me mihi plus oneris, quam re vera ferre poſsim impoſuiſſe, ſi non modo rem univerſam, ac penitus, ſed ex parte complecti, & exornare voluero (quod certè unâ Oratione, quamtumvis prolixâ & elaboratâ, pro rerum, de quibus agitur, magnitu-

---

(*a*) S. Joan. Chriſoſt. in Pſal. 41.
(*b*) Idem in Pſ. 110. & 115. & Hom. 72. ad Popul. Antioc.

tudine, & dignitate fieri à nemine poſſe opinor): illud tamen animum relevat meum, quod & ſapientiſsimos, deque omnibus á me dicendis apprimè inſtructos, nactus ſim Auditores, & praeterea ſummè pios, ſatiſque acriter ad intentum finem ſuâmet ſponte incitatos, ut non opus adeò ſit vel ad eos erudiendos ire per ſingula, vel ad currendum, quo eſt eundum, frequentibus eos calcaribus perurgere. Adeſte animis igitur quotquot ad me audiendum hùc conveniſtis, dum ex innumeris beneficiis, quae á Divinis Perſonis in omnes nos derivantur, aliqua ego ſaltem extremis attingam digitis, vobiſque obiter indicabo. Favete vos maximè, Patres conſcripti, dum pro coronide peculiaria illa bona, quae in hiſce Comitiis á ſumma Dei bonitate impetravimus, palam faciam, vobiſque ſaepius recolenda proponam. Hinc autem veſtrum erit inferre, quam ſit aequum & juſtum, ut omni equidem tempore, at cum primis hodierna die immortales Deo uni, atque Trino laudes, & gratiarum actiones toto animi affectu reddere connitamur.

## P. I.

ETſi certâ ſit fide credendum, quod opera omnia, quae Divina Majeſtas agit extrinſecus, toti ſunt Trinitati communia, neque ul-

lum eſt prorſus, quod fecerit Pater, & non fecerit Filius; aut quod fecerit Filius, & non fecerit Spiritus Sanctus, cum non poſsit eſſe aliquid in actione diviſum, ubi nihil eſt in natura, & voluntate diverſum: nihilo tamen ſecius exploratum eſt omnibus, alia eſſe opera, quae Deo Patri; alia, quae Filio; & alia, quae Spiritui Sancto, cúm in Sacris Scripturis, tum à Sanctis Eccleſiae Patribus peculiariter tribuuntur. Idque ſatis accommodè. Patri etenim, quia omnis originis eſt primus fons, Omnipotentia, rerumque omnium creatio, & gubernrtio; Filio autem, quia eſt Verbum Patris, & humanam aſſumpſit naturam, Sapientia, humanique Generis Reparatio; ac Spiritui Sancto, quia Patris, Filiique eſt amor, Bonitas, noſtrarumque ſanctificatio animarum, convenientiſsimè adſcribitur.

§. I.

JUxta hanc ipſam porro loquendi phraſim, divinarumque operum acceptionem, partiar & ego communia Trinitatis individuae beneficia in nos collata: & quae ſingulis Perſonis referenda ſunt accepta, ſigillatim commemoraturus, ab iis ducam exordium, quae Deus Pater Omnipotens in humanum Genus liberaliſsimè effudit. Atque hic poſſem ego ſtatim Coeli, terraeque,

ac

ac marium creaturas omnes in conſpectum omnium veſtrûm adducere, ut in illis immenſam Conditoris divini erga nos Bonitatem non tam percipere mente, quám ipſiſmet oculis intueri, atque etiam contrectare manibus valeatis. Quid enim ſunt, quaeſo, duo illa luminaria magna, Sol, atque Luna, Stellae, ac Planetae, Nubes, & Imbres, omneſque volucres Coeli? Quid ſunt univerſa, quae in terra germinant, arbores, flores, fructus, omniſque generis herbae; auri, argenti, aliorumque metallorum fodinae; beſtiae ſylvae, armenta bovum, & omnia pecora campi? Quid ſunt denique maria, fontes, & flumina, quid cete grandia, conchylia, piſces, & omnia, quae moventur in aquis? Quid niſi Dei Omnipotentis opera in commodum, & uſum noſtrum ex nihilo creata, ejuſdemque in nos amoris, & munificentiae indubitatiſsima monumenta? Sanè ita res eſt, inquit S. Baſilius, quocumque vertere nos velimus *undevis affluit amoenitas exuberans deliciarum, omni nos obvallante creatura, & protegente perluculentam, & praedivitem erga nos beneficentiſsimi Dei gratiam* (a).

Sed ecquid neceſſe ſit qualiacumque haec commemorare? *Parva ſunt*, ait S. Joannes Chriſo-

(a) D. Baſil. Hom. in Martyr. Julitt.

ſoſtomus, omnino *parva ſunt haec in muneribus Dei* (*a*). Illa verò magna, illa eximia, illa ſingularia, quae Coeleſtis Conditor in ipſa hominis formatione nobis clementiſsimè praerogavit. Enim verò quales, oro, ab initio nos condidit? Non utique ut Solem fecit nos Deus, non ut Lunam, & Aſtra, quae omni planè ſenſu carentia, non niſi *ut ſint nobis in ſigna*, *& tempora*, *& dies*, *& annos* (*b*), circumvolvuntur, nobiſque tantum, non ſibi ſplendent, ac rutilant. Neque etiam ut ſaxa nos fecit, neque ut arbores fecit nos, neque ut bruta animantia, quibus non eſt intellectus, non libertas, non ratio, non ulla Dei Creatoris cognitio: non ut iſta, inquam, non ut iſta nos fecit. Verùm animam inſpiravit talem, qualem nulli ex cunctis aliis animantibus dedit, ſpiritualem, immortalem, aeternam. Cohoneſtavit nos inaeſtimabili rationis dono: boni à malo diſcernendi facultate inſignivit: arbitrii quoque libertate donavit: maximoque in creaturas alias honoravit imperio. Quid plura? Ipſum Deum, Factorem, & Patrem noſtrum cognoſcendi, ipſum Deum amandi, ipſum Deum aliquando videndi, & eo fruendi in aeternum idoneos eſſe nos voluit. Et ut verbo dicam, *ad ſui ipſius imagi-*

*nem*,

(*a*) S. Joan. Chriſoſt. Lib. 2. de compunct. cord.
(*b*) Gen. 1. 14.

*nem*, *& ſimilitudinem nos formavit* (*a*). O ſingulare hominis privilegium! O beneficium inaeſtimabile! *Hoc beneficium*, mirabundus, ac ſtupens Auguſtinus interrogat, *hoc beneficium quis dedit? Deus qui ex aeterno erat*, & ab aeterno beatiſsimus eſt, & ditiſsimus, omnemque in ſemetipſo habens plenitudinem gloriae, ſibi in omnibus ſufficit, nec ulla in re noſtri indiget: ipſe dedit grande hoc beneficium. *Cui vero dedit? Homini, qui nondum erat* (*b*); immò homini, qui vixdum factus futurus erat ingratus. Quem, amabo, Auditores, quem talis atque tanta ſummi Dei benignitas, quem liberalitas tanta in admirationem non rapiat, atque ad juſta grati animi officia perſolvenda non moveat? Si namque iſta ſufficiunt minimè; quae his majora per fidem veſtram, quae magis mirifica beneficentiae divinae optare poſſumus argumenta?

Majora tamen occurrent, ſi quae ſumma Dei Patris pietas poſt miſerrimum Adae lapſum, indeque ortam univerſae poſteritatis ruinam, nobis, non item Angelis deſertoribus ſuis, benigniſsimè indulſit, paullulum attendamus. Deus etenim, uti probè jam noſtis, juſtus aequè ac miſericors, *Angelis peccantibus non pepercit*, *ſed ruden-*

(*a*) Gen. I. 17.
(*b*) S. Auguſt. Serm. II. de verb. Apoſt.

*dentibus inferni detractos*, *in tartarum tradidit cruciandos*, *in judicium reſervari* (*a*). Nos vero, licet eſſemus omnes *ſub peccato venundati*, *& naturâ filii irae* (*b*); atque adeò *filii vindictae*, *filii poenae*, *filii gehennae* (*c*); & *vaſa apta in interitum* (*d*); Nos inquam, non in aeternum projecit: nec, non projecit modò, ſed *ſuſtinuit in multa patientia* (*e*): nec modó ſuſtinuit; verum inſuper *dives in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos* (*f*), *etiam proprio Filio ſuo non pepercit*, *ſed pro nobis omnibus tradidit illum* (*g*), *& miſit illum in mundum in ſimilitudinem carnis peccati*, ut per ipſum *nos reciperemus adoptionem filiorum* (*h*): ita ut *jam filii Dei nominemur*, *& ſimus* (*i*); atque ad ipſum converſi poſsimus fidenter dicere: *Abba Pater* (*k*); *Pater noſter qui es in Coelis* (*l*) .... O infinitum divini amoris exceſſum! O amantiſsimi Patris exuberantem affectum! O benevolentiam, ò miſericordiam immenſam! *Quis loquetur potentias Domini*, *& auditas faciet omnes laudes ejus* (*m*)? Quis Pa-

---

(*a*) 1. Petr. 2. 4. (*b*) Rom. 7. 15. ad Epheſ. 2. 3.
(*c*) S. Auguſt. Tract. 44. in Joann.
(*d*) Rom. 9. 22. (*e*) Ibidem.
(*f*) Ad Epheſ. 2. 4.
(*g*) 1. ad Cor. 8. 32.
(*h*) Rom. 8. 3. & ad Galat. 4. 4.
(*i*) 1. Joan. 3. 1.
(*k*) 1. ad Corint. 8. 15.
(*l*) Matth. 6. 9. (*m*) Pſalm. 105. 2.

Patrem tam bonum, tam beneficum, tam noſtri amantem non redamet, non gratiſsimo ſemper colat obſequio, non devotis, perpetuiſque laudibus celebret? Verè dignum, & juſtum eſt, verè eſt aequum, & ſalutare; ut illi hodie, ſemper, & ubique gratias agamus; quoniam ipſe prior *in perpetua charitate dilexit nos* (*a*): *& fecit nobis magna, qui potens eſt* (*b*).

§. II.

QUám verò multa, & quàm magna ſupereſſent adhuc laudanda, quae Dei Patris beneficentiſsimam erga nos dilectionem magis magiſque commendant? Sed quoniam neque rerum dicendarum copia, & amplitudo, neque exiguum horae tempus ad dicendum mihi conſtitutum per omnia excurrere ſinunt; ideò reliquis praetermiſsis, ab beneficia illa quàm breviſsimè conſideranda vos avoco, quae non minori charitate, ac munificentia Unigenitus ejus Filius nobis eſt elargitus. Et ut actutum quae praecipua ſunt, contemplemus, ſatis, ſuperque futurum arbitror, ſi paullisper hanc in effigiem oculos intendamus. Quid enim verò de divinis



(*a*) Jerem. 31. 3.
(*b*) Luc. 1. 49.

ejus muneribus ab Oratore quolibet diſertiſsimo dici poſſe putamus, quod multò clarius, multoque copioſius uno Chriſti Crucifixi intuitu non percipiatur? Haec Crucis arbor eximia, haec humani corpòris ex ea pendentis effigies, hoc caput inclinatum, hoc latus apertum, hae ſpinae, hi clavi, haec vulnera; haec totidem ora ſunt facundiſsima, quae tacentibus nobis, quantopere Filius Dei nos amaverit, & quàm multis ac magnis nos impleverit bonis, luculentiſsimè manifeſtant.

Haec nobis annuntiant, quod *cum in forma Dei eſſet* (*a*), propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendens de Coelis, *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Haec teſtantur perſpicuè, quod Chriſtus Jeſus *propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia divites nos eſſemus* (*b*): quod *verè tulit languores noſtros, & dolores noſtros verè ipſe portavit* (*c*), quodque *propter iniquitates noſtras vulneratus eſt*, atque *attritus propter ſcelera noſtra.* Haec denique enarrant, quod Altiſsimi Filius pro filiis hominum, juſtus pro injuſtis, pro peccatoribus in-

(*a*) Ad Philip. 2. 6. & ſequent.
(*b*) 1. ad Cor. 8. 9.
(*c*) Iſai. 53. 4. 5.

innocens *Aeterno Patri ſemetipſum tradidit oblationem, & hoſtiam in odorem ſuavitatis* (*a*), ut nos cum ipſo reconciliaret: *quod peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum* (*b*) ut *chirographum decreti, quod adverſus nos erat, è medio toleret* (*c*): atque tandem ſaturatus opprobriis, doloribus obrutus, & cum iniquis, ac ſceleratis reputatus, *humiliavit ſe nimis factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis* (*d*); ut nos vitam per ipſum haberemus aeternam (*e*).

Quid nos verò, Auditores piiſsimi, quid haec audientes dicemus? Nolo etenim ego beneficia reliqua à Chriſto accepta enumerando nimium vos onerare. Praetereo Sacramenta, quae inſtituit; coeleſtis doctrinae monita, & praecepta, quae tradidit; virtutum exempla, quae reliquit; ſigna, quae fecit. Taceo bona immenſa, quae contulit, ſeu á mortuis reſurgendo, ſeu ad Coelos ſcandendo. Miſſa facio, quae nunc etiam erogat ſine ulla intermiſsione, advocatum agens apud Patrem pro nobis. Haec ego omnia, & innumera alia, ne in infinitum protrahatur Ora-

C 2 tio,

(*a*) Ad Epheſ. 5. 2.
(*b*) 1. Petr. 2. 24.
(*c*) Ad Coloſ. 2. 14.
(*d*) Ad Philip. 2. 8.
(*e*) 1. Petr. 2. 22.

tio, vobis aliàs recolenda dimitto; & ad ea ſolum in praeſenti me referens, quae ab his humanae Redemptionis ſignaculis mox audivimus praedicari: quid dicemus, obſecro, de tam benefica, & ſingulari Chriſti Domini charitate? Quid cogitabimus? Num poterat ipſe, vel nos magis diligere, vel plura nobis donare?

*Nemo* certè *majorem hâc dilectionem habere poteſt*, nemo poteſt majorem oſtentare munificentiam, quám *ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* (*a*). Hoc & ipſamet docet increata Sapientia, & ratio dictat humana. Quis non igitur videat, quis non fateatur, charitatem Chriſti erga nos fuiſſe maximam, vehementiſsimam, incomparabilem, dum eò uſque ipſum egit, & impulit, ut pro nobis (non amicis equidem, non amicis; ſed peccatoribus, & inimicis) tanto ſe opere exinaniret, tanta ſuſtineret tormenta, tamque acerbam, ignominioſam, horrendam mortem ſubiret? O amorem! O benevolentiam! O dilectionem!

In hoc, in hoc, ait Gentium Apoſtolus, in hoc re verâ Dei Filius *commendat charitatem ſuam, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: cum adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem ipſius* (*b*). Qui ergo fieri po-

(*a*) Joan. 15. 13.
(*b*) Ad Rom. 5. 8. 9.

poteſt, ut erga Dei Filium, amantiſsimum Redemptorem noſtrum, ac Salvatorem munificentiſsimum, vel corda noſtra jugi amoris igne non ardeant, vel non ſolvantur ora in creberrimas, ferventiſsimaſque gratiarum actiones? Num quid nimium fortaſsè petit ex nobis, dum pro tantis muneribus, pro tanto ſanguine, pro tali morte, hoc unum poſtulat, ut ipſum mutuò proſequamur amore: gratique animi, ac beneficiorum memoris ſigna eidem jugiter praebeamus? Oh! corda hominum ingratiſsima, nec jam humana, ſed belluina, immò ſaxea, & plus quàm ſaxea, quae vel tantillum reddere pro charitate, & beneficentia tanta recuſant.

## §. III.

PLura ergo in eam rem argumenta proferrem, niſi alio me vocarent ampliſsima ea dona, quae à Spiritu Sancto in nos dirivantur. Et ne nimiâ prolixitate veſtrâ videar velle abuti patientiâ, hoc unum, quo Ilyadem, ut ajunt, nuce concludam, & ſimul omnia complectar, veriſsimè dicam: nihil eſſe gratiarum, nihil eſſe donorum, nihil ſpiritualium eſſe chariſmatum ad noſtrarum ſanctificationem animarum efficiendam, perficiendamve ordinatum, quod non

à Spiritu Sancto, tamquam á perenni Bonitatis fonte, promanet. Quemadmodum enim S. Auguſtinus animadvertit ſcitiſsimè, *Beneficia univerſa, quae Salvator Dominus inchoavit, Spiritus Sanctus peculiari ſua virtute conſumat; quod ille redemit, iſte ſanctificat; quod ille acquiſivit, iſte cuſtodit* (a). *Diviſsiones* equidem *gratiarum*, *miniſtrationum*, *operationum*, Divo Paulo teſte, *multae ſunt: & alii datur ſermo ſapientiae; alii ſermo ſcientiae; alii fides; alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum; alii genera linguarum; alii interpretatio ſermonum*: verum *haec omnia* nonne *unus atque idem Divinus Spiritus operatur* (b)? Nonne *Spiritu Sancto ſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines, ut per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus* (c)? Nonne ſeptem illi ſaluberrimi fructus, quos enumerat Iſaias, hoc eſt, *Spiritus ſapientiae, & intellectus; ſpiritus conſilii, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiae, & pietatis; atque ſpiritus timoris Domini* (d); nonne, inquam, praecipua, & maximè propria Spiritus Sancti dona ſunt, & vocantur?

Ipſe, ipſe eſt, qui ſemper *adjuvat infirmitatem noſtram*, ut in his, quas ad Deum fundimus, preci-

(*a*) D. Aug. Serm. 185. de temp.
(*b*) 1. Corint. 12. 4. & ſequent.
(*c*) 2. Pet. 1. 21.
(*d*) Iſai. 11. 2.

cibus rectè utiliterque petamus: *nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus innenarrabilibus* (*a*). Ipſe eſt, qui ſecundum Chriſti promiſſa, *docet*, inſpirat, illuminat, & *ſuggerit nobis omnia* (*b*), quaecumque agere oportet, ut & benè coram Deo ambulemus, & opera aeterno digna praemio faciamus: nam *nemo poteſt* ſalubriter *dicere*, *Dominus Jeſus*, vel boni quicquam agere, aut cogitare, *niſi in Spiritu Sancto* (*c*). Ipſe *nos conſolatur in omni tribulatione noſtra* (*d*), ſuâque nos munit virtute, ut nihil ſit tam difficile, tam laborioſum, tam aſperum, quod eo juvante non ſuperemus.

Et unde invictum illud animi robur, atque intrepida illa virtus, & conſtantia firmiſsima, quâ Sancti Apoſtoli, omniſque aetatis, & ſexus Martyres, Virgines, & Confeſſores, poſt ſe jactantes omnia ſaeculi blandimenta, ad paſsiones, & ad ſupplicia, tamquam ad conſolationes, & ad praemia, gaudentes, atque hilares feſtinabant; unde, quaeſo, manabat, niſi á Spiritu Sancto? Sed quod caput eſt omnium, unde profluit pretioſiſsima illa, nec unquam ſatis aeſtimabilis gratia,

(*a*) Ad Rom. 8. 26.
(*b*) Joann. 14. 26.
(*c*) 1. Corint. 12. 3.
(*d*) 2. Corinth. 1. 3.

tia, quae nos juſtos facit, & ſanctos; quae Dei amicos conſtituit; quaeque *eſt pignus haereditatis aeternae* (*a*). De cujus munere venit? Haud dubiè, inquit Paulus Apoſtolus, *per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris* (*b*).

Quid, quod ipſemet Divinus Spiritus inhabitare in nobis, ac modo quodam ſpeciali, & admirabili ſuâ nos honorare praeſentià minimè dedignatur? *An* enim *neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo* (*c*)? *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis* (*d*)? Neſcitis....? Sed ſatis, jam ſatis. In hoc enim ſapientiſsimorum virorum conſeſſu neminem plane video, qui & ea omnia Spiritus Sancti, aliarumque Divinarum Perſonarum praeſtantiſsima beneficia, quae levi brachio recenſui, & ea pariter, quae brevitati conſulens, ſilentio praetereo, non plenè jam, atque optimè teneat.

Illud potius hoc loco exquirendum venit: quo tandem pacto, quove officiorum genere gratitudinem noſtram ſummae ac ineffabili Trini-

ni-

(*a*) Ad Epheſ. 1. 14.
(*b*) Ad Rom. 5. 5.
(*c*) 1. Cor. 6. 19.
(*d*) 1. Cor. 3. 16.

nitati hodierna die teſtatam facere valeamus. Quid itaque, quid Uni Trinoque Domino, Deo Patri, & Filio, ac Spiritui Sancto *retribuemus pro omnibus, quae retribuit nobis* (*a*)? Quae nos accepimus bona, innumera ſunt, infinita, immenſa: quid pro tantis ergo, tamque magnis muneribus, quid nos optimo noſtro benefactori offeremus? Sanè in nobis eſt nihil, quod magnificis adeò, atque ſplendidis beneficiis aliquâ ex parte reſpondeat. *Etſi enim millies moriamur*, inquit S. Joannes Chriſoſtomus, *etſi omnes virtutes animi expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quae ipſi à Deo accepimus* (*b*). Aſt, quandoquidem eó res devenit, ut referre illi bonum pro bono, atque gratiam pro gratia non ſit poſsibile; num ideó nullam reddemus? Quis ita, quaeſo, decipiat; quis tam ab omni religione abhorrens erit, ut ſtulté adeò, atque impiè concludat? Immo veró ſi rectè ſapimus, ob id ipſum quod non poſſumus dignam, tota animi contentione elaboremus oportet, ut quamcumque ſaltem poſſumus gratitudinem exhibeamus.

Eja igitur, Auditores, quid moramur amplius, noſtris dare locum affectibus? *Venite* omnes, *venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalu-*



(*a*) Pſalm. 115.
(*b*) S. Joann. Chriſoſt. lib. 2. de compunct. cord.

*tari noſtro: praeocupemus faciem ejus in confeſsione* (*a*) beneficiorum, *& in Pſalmis jubilemus ei. Venite adoremus, & procidamus ante Dominum*: & confiteamur ipſi, *quoniam bonus, quoniam in ſaeculum miſericordia ejus* (*b*). Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu: laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſaecula. Laudemus quantum poſſumus, amemus quantum poſſumus; & quantas poſſumus gratias pro tot, tantiſque muneribus, quae nec numerum, nec menſuram habent, agamus. Naſcentis Eccleſiae imitemur Fideles, qui, teſte D. Auguſtino, quotieſcumque ſeſe mutuó ſalutabant, duo haec tantummodo ingeminare verba ſolebant: *Deo gratias, Deo gratias.* Semper, *Deo gratias dicamus & nos*; & eximiam illam Eccleſiae vocem = *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* = corde magis, quàm ore jugiter exaltantes, officium illud praevertere ſtudeamus in terris, quod in Coelis & nos explere aliquando ſperamus, & jam peragunt modo Sancti omnes, omneſque Angelici Spiritus, indeſinenter clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* (*c*).... *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio; honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſaecula ſaeculorum, Amen. Amen. Amen* (*d*).

Etſi

---

(*a*) Pſalm. 94. 1. 2. 6. (*b*) Pſalm. 106. 1.
(*c*) Iſai. 6. 3. (*d*) Apoc. 7. 12.

## P. II.

ETſi autem ejuſmodi grati animi officia erga ſummam Trinitatis Divinae Majeſtatem nullo non tempore ſint ab omnibus obeunda; Nos tamen potiſsimum, Patres conſcripti, Nos in primis debere illa perſolvere, confitebitur ultro quiſquis peculiaria illa bona, quae per hos dies nobis, totique Ordini noſtro ejuſdem dono, ac miſeratione, acceſſêre, quaeque ego in hac poſtremâ Orationis parte reſervavi exponenda, mecum velit perpendere. Et quoniam dicendo eo provectum me ſentio, ut ne vos diutiſsimè in audiendo fatigem, neceſſe jam ſit conſulere tempori, ac ſermonis modum tenere, faciam id propterea quâ majori potero brevitate. Nihil itaque dicam de proſpero noſtro ad hanc Urbem adventu; nihil de terrae, atque maris periculis, à quibus Deus, aut nos immunes ſervavit, aut certè ſalvos, & illaeſos eripuit; nihil de temporalis vitae ſubſidiis tantae huic multitudini miſericorditer praeſtitis; nihil denique loquar ſeu de iis omnibns, quae ad decorem Ordinis promovendum divino inſpirante lumine ſaluberrimè inter nos conſtituta ſunt, ſeu de pace, charitate, & concordia, quâ per Dei gratiam electi ones noſtrae omnes fuere incoeptae, & con

 clu-

cluſae. Haec, & alia permulta nullatenus ego perſequar; digitumque, ut ajunt, ad fontem intendens, dabo unicè operam, ut quiſque paucis intelligat, quàm magnum ſit illud beneficii genus, quod in nova Superioris noſtri electione recens accepimus; ut inde valeat judicare, quantum pro hoc ipſo, Deo Optimo Maximo á nobis omnibus debeatur.

Atque in primis opus planè non eſt, ut quàm magni ſit momenti bona, aut mala Superioris electio, meis verbis declarem. Quis enim rudis eſt adeò, atque tardus ingenio, ut non intelligat, nihil ex ea minus pendere, quám aut totius Communitatis ſalutem, aut extremam ejuſdemmet perniciem? Noſtis omnes profectò, id ipſum eſſe cuique Communitati Praelatum, quod eſt belli Dux exercitui, quod eſt Paſtor gregi, quod eſt caeco Ductor, claudo Baculus, ignoranti Magiſter. *Capita Gentium ſumus*, inquiebat S. Auguſtinus Rectores alloquens animarum; *ovium Paſtores; caecorum, & ignorantium Duces; claudorum Baculus, terrarum Principes* (*a*). Quid jam verò erit de grege, qui mercenario Paſtori, incurio, ac ſomnolento, aut quod longè pejus, infido, raptoque vivere aſſueto cuſtodiendus committitur? Quid de

(*a*) D. Auguſt. Serm. ad FF. in Erem. de vit. & moribus Clericor.

de exercitu fiet, qui ſub imprudente, ac imperito Duce cum hoſte confligat? Hunc haud dubiè fatalem ſubiturum cladem, illum autem à lupis, furibuſque invadendum, atque penitus diſperdendum, nemo veſtrûm non videt. Quid porrò ſi homo idiota Magiſtro inſtruendus tradatur inepto? Nonne in ſua ignorantia marceſcet perpetuò? Nonne claudus praeceps eat, neceſſe eſt, ſi aut baculum ipſi ſubtrahas, aut non niſi arundinem, quae levi agitatur vento, ſubſtituas? *Nonne ſi caeco caecus ducatum praeſtet, ambo in foveam cadent* (*a*)?

Haud diſsimili planè ratione cogitate mecum, Patres ampliſsimi, extremo eſſe obnoxiam excidio Communitatem illam, cui malus, aut imperitus Rector praeſideat. Quantacumque in ea vigeat obſervantia Legum, pietas, atque virtus, ſi Superior vel ex torpore non curet, vel *non valeat virtute irrumpere iniquitates* (*b*); nec quod infirmum eſt, conſolidare; nec quod aegrotum, ſanare; nec alligare confractum, nec abjectum reducere, nec diſperditum quaerere (*c*); immo potius quâ nimiâ erga errantes conniventia, quâ imprudenti Legum diſpenſatione, quâ exemplo

ſuo

(*a*) Matth. 15. 14.
(*b*) Eccli. 7. 6.
(*c*) Ezech. 34. 4.

ſo pernicioſo, quae quidem evellere, deſtruere, ac diſsipare oportebat, aedificet, atque plantet; evellat autem, & deſtruat, quae plantare, ac aedificare debebat (*a*): heu miſeros nimium, & infelices ſubditos, quos hujuſmodi Praeſuli ſubjacere contingat! Quae illis mala, quae infortunia, quae calamitates non imminent? Pedetentim tota collabeſcet Religio, corruent Leges; interibit Juſtitia, contemptui habebitur virtus, peſſumibit rerum divinarum cultus, diſciplina omnis quaſſabitur; atque de die in diem abuſus, corruptelae, vitia omnia pullulabunt, ſerpent, graſſabuntur quaqua verſus impunè, ac univerſam, quâ latè patet, Communitatem inficient, penituſque corrumpent.

Atque utinam, Patres conſcripti! Oh! utinam non tam multa ejus rei exempla cùm domeſtica, tum extranea, nec vetuſta modo, ſed recentiſsima etiam occurrerent! Non eſt mihi ſat otii nunc, atque temporis, ut in iis recenſendis valeam immorari. Evolvite vos ipſi tamen, ſi lubet, omnium temporum Annales, percurrite Hiſtorias omnes: quas Communitates, obſecro, quas Provincias, quas Religiones, ac Societates hominum deprehendetis á primaeva inſti-

(*a*) Jerem. 1. 10.

ſtitutione, obſervantia, & diſciplina collapſas, quarum caſus malo Superiorum regimini maxima ex parte non ſit tribuendus? Nullam, ut arbitror, nullam omnino; namque ut ait Divus Bernardus: *Inferiorum culpae ad nullos magis referendae ſunt, quàm ad deſides, negligenteſque Rectores (a).*

Quum itaque Ordo noſter Seraphicus eo eſſet viduandus Paſtore, cujus omnigena virtus, ſumma vitae integritas, eximia in omnes humanitas; incredibilis item ardor in procurandis publicis commodis, in Regulari Obſervantia vel reſtituenda, vel conſervanda zelus, in litterarum ſtudiis amplificandis cura, & ſolicitudo; vel maximè autem regiminis publici benè, rectèque gerendi admiranda peritia, prudentia, aequitas, longanimitas, fortitudo, & multis magniſque factis probata dexteritas, ſicuti ad regendos alios eumdem natum, & è Coelo datum oſtendunt, ita noſtris quibuſcumque laudibus majorem probant; cumque in ejus locum Moderatoris alterius ineunda eſſet electio: in qua rerum fortuna Franciſcanae totius Reipublicae ſalus ob id verſaretur, quin ego dicam, cui non eſt manifeſtum? Nos ſanè non fugiebat, quod haud raró Deus, cum punire vult Populos in ira

ſua

(a) S. Bernard. Lib. 3. de conſid. cap. 5.

ſua, *regnare facit hominem hypocritam*, malos nempe Rectores, malos Praeſules, Miniſtros malos, *propter peccata populi* (*a*): quod jure magnum incutiebat timorem.

Illud etiam non minimum faceſſebat negotium, quod ipſa duce experientia, perdifficile, ac arduum nimis, opus eſſe ſciremus, in tanto ſuffragantium numero (quorum alioqui tam varii mores, tam diverſae inclinationes, tamque oppoſitae ſolent eſſe ſententiae) ita eorum mentes, voluntateſque inter ſe conciliare, ut in unum omnes, illudque optimum convenirent conſilium. Quod cum ſemper difficillimum cenſeatur, quis non dixerit, in hac noſtra peragenda electione humanis viribus impoſsibile? Adeò nempe inimicus homo per ſe, ſuoſque ſatellites turbare omnia dudum jam coeperat, factionumque, ac diſſentionum ſeminandi zizania nullum finem faciebat, ut propterea non immeritó boni omnes metuerent.

Haec nos utique praeſentiebamus perſpicuè; totque inter diſcrimina quid humani capiendum eſſet conſilii penitus ignorantes, hoc ſolum reſidui, ut jam noſtis, habuimus, ut omnem curam, & fiduciam noſtram jactantes in Dominum

(*a*) Job. 34. 30.

num (*a*), oculos, & clamores noſtros dirigeremus ad ipſum. Hinc diuturnis, nocturniſque precibus fuſsis; hinc indictis ſupplicationibus publicis; hinc oblatis placationis hoſtiis, & ſacrificiis, Templum inter & Altare proſtrati, miſericordiarum Patrem, & Deum totius conſolationis orabamus enixè, ut ſuam á nobis indignationem averteret, nec in ira ſua contineret miſericordias ſuas (*b*): ut Spiritum Sanctum ſuum de Coelis mitteret, qui ſuo nos lumine colluſtraret, ac eum nobis virum oſtenderet, quem accipere miniſterii hujus ſortem jam ipſemet elegiſſet (*c*): ut virum nobis donaret juxta cor ſuum, tantoque Anteceſſori ſimilem, ſeraphico plenum ſpiritu, zelatorem Regulae, amatorem Fratrum ſuorum, pium, prudentem, juſtum....

Quid vos ultra detineo? Jam quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit, ille nobis illuxit optatiſsimus dies, quo vota haec noſtra laeti vidimus cumulatiſsimè impleta. Jam quod Coelites omnes, ac Deum Optimum Maximum diù, multumque ſupplices precati ſumus, felici ſorte impetravimus; eumque accepimus Superiorem, de quo veriſsimè mihi dicere liceat, quod olim Samuel de Saule affirmavit: *Certè videtis, quem*

E *ele-*

---

(*a*) Pſalm. 54. 23.
(*b*) Pſalm. 76. 9. (*c*) Actor 1. 24.

*elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni Populo* (*a*). Alii equidem plures aderant boni; alii plures digni, alii plures idonei. At electus noſter (abſit procul invidia) & optimus eſt inter bonos, & inter dignos digniſsimus, & ſummè ſapiens inter peritos. Denique alius illi ſimilis non eſt inventus: hunc ab aeterno praeelegerat Dominus: ideòque & à nobis fuit omnium ferè votis electus.

O diem illum feliciſsimum! O verè beatum, ſerenum, & laetum diem, qui tanta nobis attulit gaudia! Ut enim omnium infeliciſsimi eſſemus, atque hinc inde fluctuaremus naufragio proximi, ſi ob inſcrutabilia judicia ſua Deus Mercenarium eligi permiſiſſet: ita nunc beatiſſimi nuncupari poſſumus, qui navim noſtram, ſuperno miſericorditer afflante Numine, ad optatum portum jam deductam conſpicimus; novoque in Praeſule noſtro firmiſsimam illam nacti ſumus columnam, quae Seraphicum Aedificium fortiter, ſtabiliterque ſuſtentet.... Quem verò, Patres conſcripti, quem fuiſſe arbitramur tantae noſtrae felicitatis Auctorem? Quem niſi illum, in cujus manu ſunt omnium hominum corda, conſilia, & voluntates (*b*), & *à quo* ſolo *eſt*

*om-*

(*a*) 1. Reg. 10. 24.
(*b*) Prov. 16. 19. & 21. 1.

*omne datum optimum, & omne donum perfectum* (*a*)? Verè à Domino factum eſt iſtud, haec eſt dies, quam fecit Dominus (*b*): & *qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate* (*c*), ille ipſe ad electionem hanc optimam peragendam non modo volentibus inſpiravit, ut vellent, ſed ut facerent etiam bonae adjuvit voluntatis conatus; ac per hoc ipſe fecit, ipſe perfecit.

Itaque ut ſat prolixae jam Orationis filum abrumpam, ac vela colligam, nemo certè unus non videt, Patres ampliſsimi, haud ſatis eſſe, ut pro tanto beneficio noſtram hodie Trinitati Beatiſsimae gratitudinem exhibeamus, niſi etiam curemus ejuſdemmet perpetuam ſacrare memoriam, ne volumine temporum aliqua ingrata ſubrepat oblivio. Simus ergo nos ipſi Templa viventia, ubi ſemper Deum unum, atque Trinum colamus, ubi jugem ſacrificemus ei hoſtiam, ſuaviſsimumque adoleamus incenſum perpetuae laudis, & gratiarum actionis igne fervidae charitatis. Sit Altare cor noſtrum; menſque noſtra, voluntas, memoria, cogitationes, & affectus, noſtri ſint victimae. Os autem noſtrum ſit tuba, qua ubique, ac ſemper Dei Altiſsimi Gloriam, Majeſtatem, Potentiam, ejuſdemque in

(*a*) Jacob. 1. 17. (*b*) Pſalm. 117. 20. & 23.
(*c*) Ad Philip. 2. 13.

in nos amorem, clementiam, & bonitatem coram omnibus praedicemus. Ita fiet, ut his tam juſtis laudum, & benedictionum tributis, cùm pro peculiaribus, tum pro communibus beneficiis Trinitati Auguſtiſsimae perſolvendis intenti, bona etiam aeterna eâdem largitate, poſt mortalis hujus vitae terminum conſequamur.... Fiat. Fiat.